



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancta Paupertas Religiosorum propria sine proprio Propugnata

Wissingh, Anton

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Quæstio II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49625)

maiores sui *confusionem*. Et sicut ibi per *confusionem* amittitur dominium (vide ibi) sic in religioso professo amittitur omnis peculiaris præsentio ad pecunias à se acquisite, at jam confusas in massa communi. Attamen manet obligatio in superiore, ut ex illa massa provideat illi de omnibus necessarijs, salvâ honestate religiosi moderaminis.

Plura alia, probantia dictæ vocis intelligentiam adduxi in *Libro*, cui titulus *S. Communitas*. Si fortè argumenta in contrarium facientia appareant, solventur facilè ex infra dicendis. NB. Interim in hac & quavis alia materia meum iudicium S. Romanæ Ecclesiæ, & S. Congregat. Eminentissimorum DD. Cardinalium iudicio ac sensui humiliter, libenter, ac reverenter subijcio: paratus ad audiendum saniora consilia, pro securitate conscientiarum, & pacifica tranquillitate animarum. Magis roborabitur responsio ad præmissam quæstionem ex dicendis in quæstione sequenti. Sit ergo

Quæstio II.

AN S. Constitutiones Urbanæ permittant privata deposita, seu pecuniaria peculia cum hac indefinita licentia, ut particulares Religiosi possint talia sibi acquirere in Ordine Minorum Conventual. & illimitatè quoad modum, quantitatem, ac tempus de anno in annum conservare (quamvis apud depositarium conventus, seu in communi arca) illaque de con-

ven-

ventu in conventum, dum elocantur, secum ferre,
& inde de necessariis suis sibi providere.

R. Negativè ad quæstionem sic formatam.
*Probat*ur ratione multiplici fundatâ in mem. S.
Constit. Urbanis. Et quidem *primò* ex Decreto
cit. S. Congreg. Visit. Apost. quod S. Constituti-
onibus nostris Urbanis est insertum tamquam ali-
quid, quod est de corpore & substantia Constitu-
tionum. In quo *omnibus* Ordinis nostri *Fratri-*
*b*us *districte* prohibetur, ne quispiam eorum pecu-
nias etiam ex eleemosynis, concionibus, aliove la-
bore, aut consanguineorum, seu aliorum largitione,
etiam intuitu personæ datas, aut aliâs quovis mo-
do ab eis acquisitas, vel acquirendas, tamquam
propria, aut etiam nomine conventûs possideat vel
teneat. h. i. Ubi non solum prohibetur Fratribus
pecunias tenere tamquam proprias, sed ne qui-
dem nomine conventûs, multò minùs nomine
proprio illas possidere, aut tenere. Alius autem
modus tenendi aut habendi pecunias non est da-
bilis nisi fictitius, & contra rationem, ac verbo-
rum horum intelligentiam extortus.

Prob. secundò. Quia in cit. Decreto de præ-
dictis pecuniis districte præcipitur, ut *statim* Su-
periori tradantur, conventuique incorporentur,
& confundantur, prout nos ex nunc ea applica-
mus, incorporamus, ac confundimus, & pro appli-
catis, incorporatis, & confusis haberi volumus, &
mandamus. h. i. Si ergo pecuniæ tales à privato
Religioso quomodolibet acquisitæ, & Superiori
extradendæ, ac extraditæ ex tunc applicentur, sanè
amittunt planè suam passivam peculiaritatem,

C

ut

ut proinde non sint *ex tunc*, nec *prius*, nec *umquam* specialiter tentæ, vel possessæ à tali particulari Religioso. Proinde is numquam poterat, nec potest, nec poterit dici talium pecuniarum possessor, aut tentor, aut propriè habitior (si hoc nomen bene sonet) sed solum *exhibitor*; prout dicitur in cit. Decreto his verbis : *Ex quibus (pecuniis, aliisque rebus) subministrato NB. exhibitori, quantum religiosa ejus necessitates (status valetudinis, laborumque ratione habitâ) exposulare videbuntur, reliquum penes ararium maneat. h. i.*

Prob. tertio. Quòd talis particularis Religiosus nullam peculiaritatem, aut attinentiam quasi specialis juris aut prætensionis ad tales pecunias, aut res habeat, patet ex eo, quòd sit solum circa illa tamquam circa rem alienam quasi administrator non juris, sed solius usus-facti. Unde & dicitur in cit. Decreto : *Quod verò à Superiore ipsi traditum fuerit, vel undecumque ad ejus manus pervenerit, memorato Superiori de eo rationem ad omnem ejus nutum reddere teneatur. h. i.*

Prob. quarto Ex Constit. Urban. in c. 4. Reg. tit. 2. §. 5. ubi decernitur : *Depositarij præcipua munera sunt -- pecuniam, ceteraque bona per exactorem in unum collecta fideliter custodire, & in arca trium clavium asservare : res quascumque conventui quoquo modo obvientes in commune Fratrum depositum inferre. h. i. & lc. §. 9. In ipsa trium clavium arca (quæ lc. tit. 8. §. 1. vocatur commune conventus ararium) pecunia omnes tam*
certæ

certa quàm incerta , tam qua ob annuos fructus, redditus, census , sive legatorum tum ordinario- rum, tum extraordinariorum, quàm qua ob Fra- trum legentium, laborantium , prædicantium ve labores , aut quamvis aliam piorum eleëmofyna- rum occasionem, vel aliàs quomodolibet conventui obvenerint , inferantur, & NB. juxta formam præfati Decreti custodiantur. h. i. En! ibi decer- nitur, ut omnia qualitercumque obvenientia , eti- am à particularibus qualicumque occasione , aut viâ acquisita inferantur communiæ rario , & inibi custodiantur non qualitercumque sed juxta for- mam præfati Decreti, quod jubet omnia & singu- la incorporari, confundi, & ex nunc pro applicatis haberi, quasi illæ pecuniæ tunc mox alium statum, seu conditionem nactæ sint ; ut exinde postmo- dum omnibus & singulis de singulis necessariis provideatur , prout ibi decernitur §. 6. his ver- bis :

Dispensatoris autem , seu Expensoris officium & cura sit, ex pecuniis, aliisque rebus , quas sibi à Depositario tradita fuerint, Superiori , Fratribus, totique conventui NB. de singulis necessariis (mandante tamen ipso Superiore) non juxta pro- prij affectus mensuram , sed secundum religiose charitatis regulam , Sanctarumque Constitutio- num nostrarum statuta providere. h. i. Per quæ ultima verba arcetur & prohibetur Fratribus om- nis peculiaritas tam in cura , quàm in pecunia, utpote dum præcipitur , quòd ex una communi arca & massa, in qua pecuniæ singulæ jam confu- sæ sunt, singulis quoad singula provisio fieri debe-

at. Ipse etiam Superior quoad hoc assimilatur aliis subditis, quibus in hoc non reputatur melior aut potior in necessariorum provisione. NB. Hæc de Superiori locali; nam de non locali S. Constitutiones Urbanæ specialia decernunt, uti & in aliis Ordinibus Religiosis aliquibus, quantumvis in perfecta communitate viventibus.

Prob. quintò. Ad quid talia privata peculia? seu deposita peculiaria pecuniaria? si dicatur, quòd ad hoc, ut quisque in particulari provideat sibi de necessariis; dico, quòd Constitutiones inhibeant singulis peculiarem pro se in his curam habere. Nam in c. 4. Reg. tit. 2. §. 15. decernitur: NB. *Quidquid igitur necesse fuerit, servatis servandis, ex pecuniis à Depositario sibi traditis Expensor provideat. h. i.* Ubi ly quidquid comprehendit omnes quascumque necessitates tam in particulari, quàm in communi.

Quod clariùs exprimitur lc. tit. 9. §. 1. his verbis: *Maximè opus est, ut Pralati ipsi, quibus ex injuncto Regule præcepto incumbit, omni vigilantia, charitate, & solertiâ ea omnia, quæ singulis Fratribus non ad victum & vestitum tantummodo, verùm & ad infirmitates sublevandas, ad studia prosequenda, ad itinera peragenda, ad labores reficiendos, & ad consimilia quæcumque onera perferenda necessaria erunt, paterna benignitate, & sollicitudine, nullâ (quando necesse fuerit) dilatione factâ providere debeant. h. i.* Quò quid clariùs decerni potest ad probandum responsionis suprâ datæ intentum?

Prob. sextò. lc. tit. 7. §. 1. in S. Constit. Urban.

ban. decernitur : *Ufus rerum, quæ unicuique Fratrum ad proprias sublevandas necessitates tribuntur, certus, determinatus, & ad Superioris nutum revocabilis sit. h. i.* Si certus, & determinatus; ergo ne utiquam licebit Religiosis in particulari, augere pecunias, aut alias res pro suo privato bono & usu ad quantamcumque Summam. Insuper, si ad nutum Superioris revocabilis sit; ergo potest Superior in impedire uti hoc jure suo, hac potestate sua, & prout placet, revocare; & consequenter subditus non potest, non debet, non audet resistere, immo nec ullam particularitatis prætensionem ad illas pecunias seu res contra Superiorem prætexere, aut allegare, nisi iniquè. Hinc & additur cit. loco : *quòd si quis aliter fecerit, vel quicquam (etiamsi pecunia sit) tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit, atque etiam juxta nostras has Constitutiones puniatur. h. i.*

Prob. septimò. Quòd S. Constitut. nostræ Urbanæ de particularibus Fratrum Eleëmofynis ita disponant, ut ipsi Fratres nullum particularitatis titulum ad illas retineant, id manifestè liquet ex illis, quæ decernunt in c. 4. Reg. tit. 8. §. 1. & seqq. his verbis : Particularium Fratrum eleëmofyna, & pecunia, propriâ industriâ, vel alio quolibet modo ex quibusvis tum manualibus, tum literariis exercitiis acquisita, & per conventus Officiales, vel (si id commodè fieri non poterit) per se ipsos recepta, in communi conventus erario asserventur, ex iisque vestiariùm, & reliquæ omnes religiosa necessitates ipsis suppeditentur. Quòd si

hujusmodi pecunia, & eleemosyna non sufficient, ex redditibus conventuum Fratrum indigentis applicatis suppleatur. h. i. Junge quæ sequuntur.

In §. 2. lc. Si autem particularium Fratrum necessitatibus ex particularibus eleemosynis reparatis, aliquid ex ipsis supererit, id nullo modo è deposito, vel arario extrahatur, vel in alios usus convertatur, sed ibi usque ad Provinciale Capitulum, seu Congregationem fideliter asservetur. h. i. §. 3. Capitulum verò, seu Congregatio, cui de superstite pecunia (& nulli alteri) dispositio demandatur, habitâ ratione locorum, & personarum, NB. quidquid sibi in Domino expedire videbitur, de ipsa met pecunia statuatur, & decernat &c. h. i. & lc. tit. 9. §. 6. Illarum enim, quæ supererint, pecuniarum, Fratrum necessitatibus jam reparatis, NB. omnimodam & absolutam dispositionem Capitulo Provinciali, seu Capitulari Congregationi proximè celebranda tantummodo reservamus, ac reservatam esse volumus, ac decernimus. h. i. Et §. 7. Qui verò Prælatorum secus fecerit -- mox officio, & dignitate privetur, & ad cetera in posterum Religionis munera, & dignitates sit inhabilis. h. i.

Ex quibus textibus sic argumentor: si Capitulum habeat NB. omnimodam & absolutam dispositionem, quidquid in Domino videbitur &c. ergo potest in impedire uti hoc jure suo contra quemcumque in particulari. Ergo nullus in particulari habebit ullam peculiaritatis prætensionem in tales particulares eleemosynas (supposito,

sito, quòd ipsius necessitatibus religiosis à Superiore sufficienter provisum sit, & in futuro providendum sit ex illis vel aliis.) Hinc etiam non poterit ullatenus illas propria autoritate exponere, prout decernitur lc. tit. 8. §. 6. *Si quis autem eleemosynam à quovis sibi datam autoritate propria dispensare ausus fuerit, ab eo Conventu, ubi de familia degit, expellatur. h. i.*

Prob. octavo. Religiosi particulares tenentur se Superiori, quoad necessariorum receptionem, in omnibus conformare: & Superiores tenentur Fratribus *omnia necessaria* subministrare (prout statim patebit ex textu S. Constit. Urban.) ergo non debent, nec audebunt Fratres peculia pecuniaria sibi pro suis necessariis retinere. *Prob. hæc consequentia;* nam deplorandus esset Superior tamquam miser & infelix, si deberet subditis omnia necessaria subministrare, & tamen vellent hi, quidquid acquirunt, sibi retinere. Immo irrationabilis esset hæc dispositio, utpote generativa turbationis, rebellionis, plurimarumque aliarum inordinationum. Audi de super textum S. Constitut. Urban. in c. 4. Reg. tit. 9. §. 13. *Superioris itaque arbitrium, & iudicium, æquis ad eò conditionibus libratum Fratres omnes promptè sequentur, eique semetipsos (nisi de excessu vel defectu iudicij, & arbitrij notoriè aliquid constiterit) in omnibus conformabunt, & coaptabunt. h. i. Et §. 14. Superiores autem, NB. quidquid deposcat Fratrum necessitas, per Officiales conventus, in propria tamen specie, NB. non verò in pecuniis, Fratribus ipsis benignè, paternèque subministrabunt. h. i.*

40
Si quis tantum velit intelligere, non potest hic amplius dubitare: nam hac intelligentia est tam plana, & tam directa via, ita ut stulti non errent per eam. Isai. 35. 8.

Prob. nono. S. Constitut. Urbanæ in c. 5. Reg. tit. 13. §. 1. præcipiunt promptuarij Præfecto, ut, quæ præter victum & vestitum, (de quibus alibi) Fratibus necessaria sunt, v. g. oleum, charta, &c. dispense, & unicuique proferat. - & si quid supererit, communitati restituatur. h. i. Ex quo iterum evidenter sequitur, quòd talia necessaria nullus in particulari sibi procurare debeat, consequenter ad hunc finem non indigeat peculio pecuniario, seu deposito.

Prob. decimo. S. Constit. Urbanæ in c. 6. Reg. tit. 2. §. 4. præcipiunt Fratibus omnem omnium quorumcumque bonorum resignationem quoad omne & quodcumque jus: ergo hanc peculij pecuniarij reservationem tam vagam, tam liberam, tam incircumscriptam, seu incircumcisam nullatenus approbant, nec admittunt. Textus lc. hic est: *Si quis autem Fratrum, postquam Urbana Constitutiones hujusmodi ad ejus notitiam pervenerint, omnia bona, quacumque illa fuerint, sive eis defacto utatur, sive ea apud Seculares ullo pacto detineat, non revelaverit, & conventui, cujus Filius est, NB. quantum ad omne & quodcumque jus eo ipso non resignaverit, omnium legitimorum actuum jure, & utraque voce biennio privetur, aliisque proprietariorum pœnis subjaceat. h. i.*

Ubi nomine bonorum, quæ sub usum hominis cadunt, utique etiam exprimitur, & comprehenditur

dicur pecunia. Et, si nativo conventui *omne & quodcumque jus* in talem pecuniam resignandum, & resignatum sit, utique potest ille Conventus de tali pecunia disponere, prout maluerit (nisi tamen aliunde hæc potestas limitetur, prout defecto limitata est supra) consequenter talis Religiosus amittit omnem qualemcumque pertinentiam, seu attinentiam ad illam pecuniam, sine spe regressus ad illam recipiendam in specie, aut individuo, & aliò transferendam pro voto suo, *certè* circa hoc valde ineruditò, & inordinatò.

NB. Si quis autem hunc præcitatum textum aliter intelligere, vel in sensum absònum detorque voluerit, manifestum signum est non debilitatis in intellectu, sed obliquitatis aut pravitatis in affectu, utpote per inordinatum amorem pecuniæ obcæcatò, & hebetatò. Si quæ autem in S. Constitut. Urbanis alicubi appareant specie tenus contrariantia his jam resolutis in hac quæstione, in sequentibus magis dilucidabuntur, & resolventur. Itaque sit

Quæstio III.

Qualiter ergo intelligendus sit textus S. Constit. Urban. in c. 4. Reg. tit. 8. §. 4. qui ita decernit : *Quòd si occurrat Fratres ante Capitulum è concionibus redeuntes, suarum eleëmofynarum pecunias ad Superiores (uti tenentur) deferre, communique deposito præsentare ; Superior, ut diligenter usque ad peractum*

C 5

Ca-